



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum irregularitas sit annexa bigamiæ, quæ contingit ex hoc, quòd homo
habet duos vxores, vnam de iure, & alteram de facto? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

sunt sacramentorum dispensatores .

Ad secundum dicendum , quod quamvis sit in fornicarijs maioris concupiscentiæ signum , non tamen concupiscentiæ ita adhaerentis : quia per fornicationem vnus alteri non in perpetuum obligatur ; & ided non est defectus sacramenti .

in corp. et ad 2. Al. matrimonij.

Ad tertium dicendum , quod sicut dictum est * , bigamia causat irregularitatem , in quantum tollit perfectam significationem * sacramenti : quæ quidem consistit & in coniunctione animorum , quæ fit per consensum : & in coniunctione corporum . Et ided ratione vtriusque simul oportet esse bigamiam , quæ irregularitatem faciat . Vnde per Decretal. Innoc. III. obiatur ei quod Magister * in littera dicit : scilicet quod solus consensus per verba de presenti sufficit ad irregularitatem inducendam .

*† loco citato in arg. 3. * lib. 4. sent. d. 27 in fine illius . 276*

ARTIC. II.

Vtrum irregularitas sit annexa bigamia , quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores , vnã de iure , & alterã de facto ?

Ad secundum sic proceditur . Videtur , quod irregularitas non sit annexa bigamiæ , quæ contingit ex hoc , quod homo habet duas uxores , simul vel successiue , vnã de iure , & aliam de facto . Quia vbi nullum est sacramentum , non potest esse defectus sacramenti . Sed quando aliquis contrahit de facto cum aliqua , & non de iure ; non est ibi aliquod sacramentum : quia talis coniunctio non significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam . Ergo cum irregularitas non consequatur bigamiam nisi propter defectum sacramenti , videtur quod talem bigamiam irregularitas non consequatur .

¶ 2 Præterea , Aliquis accedens ad illam , cum qua contrahit de facto & non de iure , committit fornicationem , si non habeat aliquam uxorem legitimam ; vel adulterium , si habeat . Sed diuidere carnem suam in plures per fornicationem vel adulterium , non causat irregularitatem . Ergo nec dicitur * bigamiæ modus .

in arg. 1. huius ar.

¶ 3 Prae

¶ 3 Præterea, Contingit quòd aliquis, antequam cognoscat carnaliter illum, cum qua de iure contrahat de facto, non de iure, & eam carnaliter cognoscat, siue prima mortua, siue viuente: talis contrahit cum pluribus, vel de iure vel de facto: & tamen non est irregularis, quia carnem suam non diuisit in plures. Ergo ex prædicto modo bigamiz non contrahitur irregularitas.

In arg. 1

RESPONDEO dicendum, quòd in duobus secundis modis bigamiz contrahitur irregularitas: quia, quamuis in altero non sit sacramentum, est tamen quædam sacramenti similitudo. Vnde isti duo modi sunt secundarij, & primus est principalis in irregularitate causanda.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis ibi non sit sacramentum, est tamen ibi aliqua similitudo sacramenti, quæ non est in fornicario vel in adulterino concubitu: & ideò non est simile.

Et per hoc patet solutio Ad secundum.

Ad tertium dicendum, quòd in tali casu non reputatur bigamus: quia primum matrimonium non habuit perfectam significationem suam. Tamen si per iudicium Ecclesiz compellatur ad primam redire, & eam cognoscere, statim efficitur irregularis: quia irregularitatem non facit peccatum, sed imperfectio significationis.

ARTIC. III.

Utrum contrahatur irregularitas ex hoc, quòd aliquis ducit uxorem non virginem?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd non contrahatur irregularitas ex hoc, quòd aliquis ducit uxorem non virginem. Quia plus impeditur aliquis defectu proprio, quàm alieno. Sed si ipse contrahens non sit virgo, non efficitur irregularis. Ergo multo minus si vxor eius virgo non sit.

277
Cap debi
tum. ex
tra de bi
gam.

¶ 2 Præterea, Poteest esse quòd aliquis deflorauit aliquam, & postea ducat eam in uxorem. Talis autem non videtur fieri irregularis, quia non diuisit car-

Pp 4 neta